Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



colas: ut acciperent fructus eius. Et agricole apprehensis
seruis eius alium ceciderunt: alium occiderunt: alium uero la
pidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus:
et fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium
suum dicens. Verebuntur filium meum. Agricole autem uidentes
filium: dixerunt inter se. Hic est heres: uenite occidamus
eum: et habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt
extra uineam: et occiderunt. Cum autem uenerit dominus uinee:
quid faciet agricolis illis? Aiunt illi. Malos male perdet:
et uineam suam locabit alis agricolis: qui reddant
ei fructum temporibus suis. Dicit illis ihesus. Numquam leg
istis in scripturis: lapidem quem reprobauerunt edifican
tes hic factus est in caput anguli: a domino factum est
istud et est mirabile in oculis nostris? Idcirco uobis: quia
auferetur a uobis regnum dei et dabitur genti facienti fruc
tus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super
quem uero ceciderit: conteret eum. Et cum audissent principes
sacerdotum et pharisei parabolas eius: cognouerunt quod de ip
sis diceret. Et querentes eum tenere timuerunt turbas: quo
ficut prophetam eum habebant. Sabbato. l. l. Genesis.
In diebus illis. Dixit rebecca filio suo iacob. Audiui patrem
tuum loquentem cum esau fratre tuo: et dicentem ei. Adfer mihi uenatio
nem tuam et fac cibos ut comedam: et benedicam tibi coram domino
ante quam moriar. Nunc ergo fili mi. acquiesce consilius me
is: et pergens ad gregem affer mihi duos hedos optimos
ut faciam ex eis escas patri tuo quibus libenter uescitur:
quas cum intuleris et comederit. benedicat tibi priusquam
moriatur. Cui ille respondit. Nosti quod esau frater meus homo
pilosus sit: et ego lenis. Si attrectauerit me pater meus. et
senserit: timeo ne putet me sibi uoluisse illudere: et inducat super me maledictionem pro benedictione. Id quem mater